

Dissertatio inauguralis pharmacologico medica sistens alkaloidea recentiori aevo in usum medicum tracta ... / publicat Josephus Mühlhoffer.

Contributors

Mühlhoffer, Josephus.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Pestini : Typis Landerer et Heckenast, 1843.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fstqf9ps>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSE

INAUGURALIS PHARMACOLOGICO MEDICA

SISTENS

ALKALOIDEA

RECENTIORI AEVO IN USUM MEDICUM TRACTA.

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE INCLYTAE FA-
CULTATIS MEDICAE

PRO

**DOCTORIS LAUREA RITE
OBTINENDA**

ALMA AC CELEBERRIMA

REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE HUNGARICA.

PUBLICAT

JOSEPHUS MÜHLHOFFER,
HUNGARUS PESTHIENSIS.

Theses adnexae publice defendantur in Palatio Univ. minori
die Februarii 1843.

PESTINI 1843.

Typis Landerer et Heckenhast.

DISSERTATIO

ESSAY SUR LA PHYSIOLOGIE MEDICALE

PAR

AEGIDIO ARIADNE

ESSAY SUR LA PHYSIOLOGIE MEDICALE

PAR

ESSAY SUR LA PHYSIOLOGIE MEDICALE

Versengve buzgunk a' tökély felé ;
Nyomozzuk útját ! — —

Hörváth Czyrill.

L' esprit humain ne peut rien créer : il ne produira qu'
après avoir été fécondé par l'experience et la meditation ;
ses connaissances sont les germes de ses productions.

B u f f o n .

Seiner vielgeliebten

M u t t e r

u n d

seinem theuersten

G r o s s v a t e r

widmet diese Blätter als Zeichen seiner unbegrenzten
Liebe und Dankbarkeit

der Verfasser.

der Verfassung

hinterließ diese Pläne als Zögern seiner ungezüglichen
Folge und Durchsetzung

Capitale

seinen Gelehrten

aus

Tutting

sofort abgeschlossen

A c o n i t i n u m.

Synonyma: Aconitium, Aconitina. Sisakvirágdék. Aconitin, Sturmhutstoff.

Per Brandes, Peschier, Pallas ex Aconiti speciebus elicitum, recentissime ab Hesse in Statum purum redactum, a Turnbull in usum medicum inductum; juxta Geigeri prae-scriptionem paratur:

R p e. Herbae Aroniti Napelli recenter et caute siccatae, grossiuscule pulverisatae quantum vis Pauxillo Spir. Vini rectificatissimi humatata et prelo Realiano immissa extrahatur penitus ope Spir. Vini rectificatissimi. Liquori obtento claro admisce calcis extinctae vigesimam herbae partem. Post digestionem per 24 horas, saepius agitans filtra et adde filtrato per vices Spir. Vitrioli q. s. ad perfectam saturationem et donec acidum paullum praevaleat; filtra, et abstrahe Spir. Vini lenissimo calore ad quartam remanentis partem usque; admisce residuo medium aquae partem et evapora in vasa vitro aperto, donec Spir. Vini omnis in auras abierit; post refrigerationem filtra et liquor filtrato, concentrato, admisce Liquorem Kali carbonici concentratum, quamdiu praecipitatum nascitur, quod collectum, inter char-

tam bibulam pressum et siccatum in Alcoholis Vini absoluti q. s. solvendum, filtratae solutioni admisce per vices semper agitando Carbonis lixivii Sanguinis laevigati q. s. ad decolorandum liquorem; filtrato denuo liquori adde Aquae purae q. s. ad lac formandum, quod in aere libero evaporationi lenissimo calore relinquendum.

Characteres: Est massa excolor, diaphana, friabilis, inodora, saporis amari, solvitnr in Aquae frigidae **150**, fervidae **50** partibus. Cum acidis sales crystallisabiles constituit qui et aqua et alcohole facile solvuntur.

In eo virtus Aconiti sita est, estque venenum dirum, virtus medica in homine nedium adhuc sufficientibus comprobata experimentis; laudatur in arthritide et rheumatismo chronicis, prosopalgia, aliisque neuralgeis.

Dosis et forma. Interne $\frac{1}{16}$ grani pars saepius de die form. pil. Et externe adhibetur in morbis supra allatis vel forma solutionis in Alcoholе A. $\frac{1}{2}$ — **1** gr. pro drachma Alcoholis vel unguenti **1—2** gr. pro drachma axungiae.

A t r o p i n u m.

Syn. Atropinum, Atropina. Nadragulyadék. Atropin.

Alcaloideum hocce **1819** per Brandes detectum, recentissime per Mein, Hesse, et Geiger exactius determinatum descriptumque est.

Paratur: Pulv. Rad. Atropae Belladonnae partes **25** Alcoholе **0, 820** extrahuntur; liquidum cum Hydratis Calcis parte una miscetur; fluidum post spatium **24** horarum filtratum, Acido Sulfurico aliquantulum supersaturatur et sedimentatur; ex filtrato liquido dimidia pars destillatione absfrahitur, et residuum cum quadrupla quantitate Aquae destillatae fervidae miscetur. Atropinum secedens solutione in Alcoholе et Carbone animali depuratur.

Char. Crystallos exhibit aciculares, albas, sericeas, fasciculatim aggregatas, inodoras, sapore amaro nauseoso instructas. In Aqua parum, facillim Alcohole, minus Aethere solvitur; acidis junctum sales crystallisabiles, Aqua, Alcohole facile solubiles constituit.

Virtute medica summe narcotica instructa, vires Belladonnae concentratissimas in se continet. Pauca adhuc remedio hocce experimenta therapeutica sunt instituta. Adhibitum hucusque solum est scopo pupillae dilatationem artificalem procurandi, quam sat cito, et constantem minima dosi oculo adplicitum provocat.

B e r b e r i n u m.

Syn. Berberina, Berberin, Sauerdornstoff, Sauerdornbitter.

Per Buchner et Herberger 1831 detectum, sequenti ratione obtinetur.

Superfunditur Rad. Berberis vulgaris concessa Aqua fervida, digeritur per aliquot horas, decanthatur, et infusio bis, terve repetitur, residuum exprimitur, et extracta omnia filtrantur inspissanturque ad Extracti liquidi consistentiam, quod tractatur cum Alcohole O, 820 tamdiu, donec extractum omni sapore amaro exuatur, Tincturae ab extracto decanthantur, Alcohol abstrahitur et residuum crystallisatur; Crystalli tamen enatae non sunt purum Berberinum hinc pressione intra linteum, et lotione cum Aqua frigida ut ab extractivo liberentur, opus.

Char. Exhibit pulverem flavum ex crystallis minimis acicularibus constantem, saporis amari adoris nullius, Aquae frig. 500, Alcoholis frig. 250 servido omni proportione soluble. Solvitur et Aetherae, Oleo Petrae minori quanti-

tate oleis pinguibus. Relate ad alias qualitates chemicas medium quasi inter acidum et alcali tenet.

Virtus ejus roborans a Buchner laudatur, imprimis digestione prostrata. In convalescentia post febres, cum secretiones non imminuat, qua stomachicum adhiberi meretur; majori dosi alvum ast sine torminibus laxat. Dos et form. Dosis gr. 1. pluries per diem, forma pill. pulv. aut solut.

Brucinum.

Syn. Brucium, Brucina, Caniramium. Brussedék. Caniramin, Pseudoangusturin.

Per Pelletier et Caventou detectum, in Gallia per Andral, Magendie et Bardsley in usum medicum tractum. Pharmacopoea gallica sequentem pro hujus paratione dat praecriptionem :

Summitur quantitas Corticis Angusturae spuriae grosse pulverisati, tractatur ter Aqua paucō Acido Muriatico remixta, fluidum evaporatur, donec experimenti gratia sumta quantitas parva cum Ammonia praecipitatum largum det; adfunditur nunc Hydras Calcitus cum Aqua et quidem ut uncia una Calcis pro libra Corticis obveniat. Praecipitatum obtentum obluitur Aqua, siccatumque Alcoholē servido tractatur; hoc ter quaterve repetito, Brucinum totum extractum est. Alcohol nunc evaporatur et massa residuo Acido Sulfurico quod aquae 10 aut 15 partibus dilutum est jungitur. Brucinum sulfuricum ita obtentum Aqua solvitur, et per Carbonem animalem decoloratur; post crystallisationem denuo in 10 partibus Aquae servidae solvitur et Brucinum Ammonia praecipiatur.

Char. Brucinum purum refert crystallos prismaticas, albas, nitentes saporis valde amari solvitur in 850 Aquae frig. in 500 Aquae serv. partibus, Alcoholē omni propor-

tione. Cum acidos format sales crystallisabiles aqua et alcohole facile solubiles.

Agit quam maxime in medullam spinalem intensius ut nuc vomica et Angustura spuria, minus tamen intense Strychnino. Virtus illius se habet ad eam Strychnini sicut: 10 Andral illud valde laudat, cum virtus illius magis dirigi valeat. Adhibetur in Paralysi optime in ea intoxicationem Plumbi insequentem.

Dosis et form. Adhibetur optime form. pill aut tinet a. gr. sem. ad 5 adscendendo.

Cantharidinum.

Syn. Cantharidina. Körös Bogárdék. Cantharin.

A Robiquet 1810 detectum; paratur:

Cantharides cum Aethere extrahuntur, liquidum aetherum destillatur, residuum crystallisatur, et crystalli enatae, solutione in Alcohole Carbone animali et iterata crystallisatione depurantur.

Char. Crystalli sunt aciculares, inodores aqua et alcohole frig. non, sed Aethere, Alcohole, Oleis pinguibus calidis facile solvit; ex solutione refrigerata denuo crystallisat. Medium inter alcalia et acida tenet.

Principium efficax Cantharidum constituit, et virtus ea vesicas trahendi, illi solummodo attribuitur, adeo ut momento adlicationis vesicas trahat; stimulans vero imprimis in systhema genitale illi denegatur.

Adhibetur qua vesicans; forma unguenti gr. 1. pro ung. unc. $\frac{1}{2}$ — 1.

Cathartinum.

Syn. Chatartina. Szennadék. Cathartin, Sennastoff, Sennabitter.

Per Lassaigne et Feneulle detectum ; paratur :

Decortum foliorum Sennae, Acetate. Plumbi praecipi-tando, liquidum a Plumbō forsan adhaerente Acido Hydro-thonico liberatur, et filtratum ad extracti spissitudinem eva-poratur. Extractum Alcoholē O, 830 interata vice macera-tur, solutiones alcoholicae filtratae destillantur et residuum ad siccum calore moderatissimo evaporatur.

C h a r. Est substantia non crystallisabilis, rubro-flava, odoris peculiaris, saporis amari nauseosi Aqua et Alcoholē facile aethere non solubilis; nec acide nec alcaline reagens.

Est purgans principium efficax Sennae, hinc in iis casibus quibus Senna adhibetur, indicatur.

D o s i s e t f o r m. Dos. a gr. 2 — 15 pro nycht form. pil. trochiscorum aut solut.

C e t r a r i n u m.

S y n. *Licheninum* Zuzmódek *Lichenin*, isländisches Moos oder Flechtenbitter.

Berzelius primus erat qui substantiam hanc detexit, Herberger eam in puritatem redegit, obtinetur :

Pulvis grossus Lichenis islandici coquitur cum 4 par-tibus Alcoholis O, 883, decoctum relinquitur, donec va-pores spiret, dein filtratur, et exprimitur ; liquor cum Acido muriatico diluto (drach. tres pro libra una) miscetur et $4\frac{1}{2}$ volumine Aquae diluitur, mixtum in vase recipiente bene obturato per noctem relinquitur. Liquidum decanthatur et praecipitatum Aqua abluitur exprimitur, residuum Aethere decoloratur, et cum magna quantitate Alcoholis ferv. trac-tatur, ut a partibus anorganicis liberetur. Ex solutione al-coholica secedit Cetrarinum forma globulorum friabilium colorantium.

Char. Refert pulverem album, levem, inodorum, saporis intense amari in Aquae bull. 5000, in Alcoholis bull. 200 partibus solubilem, medium inter acida et alcalia tenet.

Hucadusque qua febrifugum in febri quartana a Müller bono cum successu adhibitum.

Dosis et form. Dos. gr. 2 omni biorio tempore apyrexiae form. pulv.

Cinchoninum.

Syn. Cinchonium, Cinchonia, Cinchonina. Kinkinadék. Cinchonin, Cinchonstoff.

Eodem ut Chininum tempore detectum paratur:

Rpe. Chinae griseae Huanuco quantum vis. Pulveratum coque iterato cum 5 partibus Aquae $\frac{1}{50}$ Acido Salis acidulatae, donec residuum insipidum sit; evapora liquorem acidum in balneo Mariae ad dimidium, filtra post aliquot dies et tracta liquorem clarum Calce exstincta. Praecipitatum bene lotum coque cun, octuplo Spir. Vini rectificatissimi O, 82 et filtra solutionem bullientem; residuum interum tracta cum nova Alcoholis quantitate, donec exhaustum sit. Inter refrigerationem liquoris filtrati Cinchonii partem in crystallis secerni videbis, de quibus decanthesur et Spir. ad $\frac{2}{3}$ abstrahatur, iterum crystalli Cinchonii deponuntur; a liquore restante, paullo Aqua commixto, denuo major Spir.

Vini pars abstrahatur ut Cinchonium secernatur. Crystallos collectas solve bulliendo in sufficienti Spir. Vini rectificatissimi fortioris quantitate, et si necesse tracta solutionem cum Carbone animali, filtra adhuc ferventem, et post refrigerationem decantha liquorem a crystallis; abstrahe Spir. Vini et evapora, quamdiu Cinchoninum purum praebet, quod sic candum et sollicite asservandum.

Char. Crystalli sunt prismata octaedra, albae nitentes transparentes, inodorae, et ob solubilitatem difficilem fere insipidae, solvitur in Aquae bull. 2500, Alcoholis quoque et aetheris multum pro sui solutione eget. Cum acido Ace-
tico, Muriatico, sulfurico, uniones init chemicas Aqua et Alcohole facile solubiles.

Alcaloideum hoc una cum salibus suis magnam respec-
tu virtutis medicae cum Chinino fovet similitudinem, hinc et iis in casibus, eadem dosi et forma qua id adhibetur.

C h i n i n u m.

Syn. Chinium, Chininium, Chinina, Quina, Quinium, sal essentiale cort. Peruviani. Kinadék. Chinin, Quinin, Chinastoff.

Anno 1803 [a] Duncan substantia propria in Cortice Chinae detecta, quam recentissime et Caventou et Pelletier in statum purum redigere. Double primus fuit qui eam 1830 in usum medicum Parisiis traxit.

Paratur juxta Geigeri praescriptionem:

R p e. Chinini sulfurici quantum vis. Solve in sufficiente quantitate Aquae bullientis, tunc adde Spir. Salis Ammoniaci causticum in excessu. Filtra celeriter et refrigerescat liquor lente; post refrigerationem decanthetur a crystallis et evaporetur denuo addito Spir. Salis Ammoniaci caustico ut crystallos dimittat, quae collectae et Aqua frigidae ablu-
tae aere sicco exsiccentur.

Char. Est pulvis, albus, qui inter digitos tritus in mas-
sam abit resinosam, odoris est nullius, saporis intense amari,
Aquae frig. 400 bull. 250 partes pro sui solutione eget;
Alcohole omni proportione Aethere quoque facile solvitur;
solutiones reagunt alkaline. Nectitur acidis in sales inter
quos usus medici frequentissimi sunt:

Chininum Aceticum, paratur: Chininum purum solvendo in **Acido Acetico diluto**, evaporando et crystallisando.

Char. Crystallos exhibit tenuissimas aciculares albas quae **Aqua frigida** difficile calida vero facilius solvuntur.

2. Chininum Muriaticum; paratur: Chinini Sulfurici uncia una et semis, Barytae Muriaticae uncia semis, solvantur seorsim in **Aqua destillata fervida**; misceantur solutiones fervidae invicem, miscela filtretur evaporetur et crystallisetur.

Char. Crystalli sunt aciculares nitoris sericei in **30 partibus Alcoholis rectificatissimi Aquae bullientis 20 solubiles**, solutio saporis est amari.

3. Chininum Phosphoricum paratur: Chininum purum solvendo in **Acido Phosphorico diluto** et crystallisando.

Char. Crystalli sunt aciculares nitoris margaritini solvuntur **Aqua difficiliter facilius Alcohole**.

4. Chininum Sulfuricum; paratur:

Rpe. **Chinae regiae** pulverisatae, **Aquae frigidae** ~~aa~~ libras decem, **Acidi Salis** uncias quatuor. Misceantur **Acidum cum Aqua** humectetur **China** cum hac miscela, seponatur per aliquot dies et pulvis humidus saepius moveatur, tunc immittatur in prelum **Realianum** cum forti pressione, et extrahatur **Aqua calida** $\frac{1}{50}$ **Acidi Salis acidulata**, donec liquor stillans sapore amaro fere careat. Evaporetur in balneo **Mariae** ad **20** circiter libras, seponatur in aëre per aliquot dies, filtretur et admisceantur liquori claro semper agitando **Calcis** recenter extinetae unciae decem, antea sufficiente **Aquae** quantitate in pultem tenuem redactae, vel quantum requiritur ad perfectam **Chinini** praecipitationem. Seponatur praecipitatum et exprimatur, humectetur iterum **Aqua frigida** et exprimatur fortiter, tunc admisceantur **Al-**

coholis rectificatissimi librae **6**. Digerantur leni calore, filtretur et lavetur residuum insolutum sufficiente quantitate Alcoholis rectificatissimi. A solutione limpida abstrahatur Spiritus in balneo Mariae, et post refrigerationem lavetur Chininum impurum pauxillo Aquae frigidae, tunc calefiat cum Aquae libris octo et admisceatur sensim Spir. Vitrioli q. s. ad solutionem, caveatur autem excessus, et si solutio nimis colorata, adjiciantur pulveris Carbonum animalium unciae duae, vel quantum sufficit ad decolorandam solutionem, quae per breve tempus coquenda et adhuc fervens celeriter filtranda. Inter refrigerationem Chininum Sulfuricum in crystallos coalescit; reliqua solutio a crystallis decanthatur et evaporatur quamdiu crystallos deponit, quae aëre in umbra siccandae, et in vasis clausis loco umbroso asservandae.

Char. Crystalli sunt albae, aciculares, nitoris sericei, calefactione phosphorescunt, inodores, saporis amari solvuntur in **740** partibus Aquae frig. **30** calide in **60** Alcoholis; addito tamen Acido Sulfurico diluto, ita ut pro uno grano gutta una Acidi veniat, solutio multum facilitatur.

Chinini Virtus, imprimis salium ejus hi enim facilius solubiles effectum et citiorem et majorem exerunt, est in nervos vitae plasticae, seu systematis gangliosi direcia; cuius qualitativum ab norma deflexum (qualis in febribus intermittentibus semper adest) corrigit, morbisque ex abnormalitate hac pullulantibus opitulatur. Specifica virtus antipyretica Cort. Chinae alcaloideis ejus debetur, ac hoc respectu surrogata quantumcumque laudata, omni jure postponenda; ubi e contra virtute corticis tonico-adstringente destituntur. Ast et virtus nervino tonica alcaloideis his alto gradu est propria. In usum vocantur ideo in febribus intermittentibus variae intensitatis, diversissimis sub formis semet manifestantibus; febri intermittente larvata; febri intermittente traumatica. In neurosibus puris, tussis convulsivae

stadio tertio, Choro Sti. Vhti, eclampsia, cholera morbo. In hydrope febrem intermittentem insequente infarctibus lie-
nis et hepatis nexa; leucorrhoea.

Dosis ab 1—2 grana tempore apyrexiae omni hora vel bihorio; urgente in casu gr. 4—6—10 omni hora. For-
ma pulv. pill. mixt. aut solut. additis aliquot guttis Acidi Sul-
furici dil. Endermaticam svadent nonnulli auctores applica-
tionem, in quo casu tamen praeter epispastici vix aliam exe-
rit virtutem.

Chinoidinum,

Syn. Chinoidina. Chinoidin.

Geiger sequentem pro eo parando dat praescriptionem:

Muria Chinini Sulfurici quae evaporando non amplius crystallos Chinini Sulfurici largitur, diluitur Aqua, quamdui praecipitatum resinosum nigrum secernitur, tunc filtratur et liquori claro admiscetur tamdiu solutio Carbonatis Kali, quamdui praecipitatum enascitur, quod Aqua frigida bene abluitur, in balneo Mariae penitus exsiccatur et in cistulas funditur.

Char. Est substantia resinosa, brunea, splendens, friabilis saporis amari, quae Aqua difficillime, facile vero Alcohole solvitur. Juxta recentiores investigationes mixtum ex Chinino et Cinchonino esse declaratur.

A Sertürner nimiopere laudatum contra febres intermit-
tentes, ast observationibus aliorum, magna virtus non est
comporta.

Dosis gr. 2—4 adultis $\frac{1}{4}$ — 1 gr. infantibus form.
pulv. aut solutionis alcoholicae.

C o d e i n u m.

Syn. Codeina. Codein.

Anno 1832 a Roliquet detectum, sequenti modo obtinetur:

Ex solutione aquosa Opii, Morphina per Ammoniam puram praecipitatur liquido limpido a Morphina separato, Chloretum Calcii tamdiu additur, donec praecipitatum non amplius oritur; (*Meconas Calcis*) fluidum iterum a praecipitato separatum, aquaque dilutum, Acetate Plumbi basico praecipitatur. Liquidum a praecipitato filtratione separatum, addito Carbonate Kali, ad extracti consistentiam evaporatur, ex quo Codeinum Aetheris ope extrahitur et crystallisatur.

Char. Occurrit in crystallis acicularibus teneris, decoloribus, inodoris sapore initio amaricante dein nauseoso instructis, in Aquae frigid. 83 bull. 17 partibus solvitur, facilius solvitur Alcohole et Aethere, cum Acidis sales crystallisabiles Aqua Alcoholeque solubiles efformat.

Virtus illius est juxta Magendie narcotica, inducens somnum ast sine inseguente capitis temulentia. Kunkel illi magis irritantem tribuit virtutem, observavitque convulsiones in musculis extremitatum imprimis inferiorum ac colli, imo et inflammationem atrii cui adplicabatur; textui celluloso applicitum virtute majori gaudere dicitur, ac ventriculo ingestum. Magendie adhibuit in neuralgiis imprimis prosopalgia, Ischiade nervoso.

Dosis gr. 1—2 pro nyet. form pulv. aut pill. v. tinct.

C o n i n u m.

Syn. Coniinum, Cicutinum, Coniina, Cicutina. BürokDéK. Coniin, Cicutin.

Anno 1826 a Gieseke detectum 1831 in statum purum redactum, paratur:

Aqua Conii: destillatione ex seminum Conii maculati semimaturorum partibus quatuor, Kali puri parte una et Aqueae partibus sex obtenta, Acido Sulfurico saturatur ad Syrupi consistentiam evaporatur, cum miscela ex Aetheris parte una et Alcoholis 0,820 partibus duabus eousque tractatur, donec menstruum hoc nihil amplius solvat; tum filtratur, aquae dimidia ponderis parte miscetur, et demum cum Kali caustico superabundante in balneo Muriatis Calcis destillatur. Liquidum denique oleosum, fluido aquoso supernatans sub antlia pneumatica ab adhaerente Aqua depuratur.

Char. Liquidum est excolor, oleosum, aqua specifice levius, odore nauseoso, saporeque nauseoso-acri instratum. Sub temperatura consveta in 100 partibus Aquae solvitur, in frigore minus pro sui solutione requirit Alcoholis Aethere facilis solvitur. Acidis junctum in sales Aqua et Alcoholis solubiles crystallisablesque abit.

Virtus medica maxime narcotica, exigua dosi narcosim imo tetanum et mortem facile inducens, jam vapores ejus cephaleam, vertiginem producunt, lacrymasque elicunt. Experimenta therapeutica fide digna nulla exstant, adhiberi posset in iisdem ut planta mater morbis.

Dosis ab $\frac{1}{32}$ — $\frac{1}{16}$ gr. partem pro nycht.

C u b e b i n u m.

Syn. Cubebina. Kubiomdék. Cubebin.

A Vauquelin Monheim recentissime purum ex Cubebis a Steer paratum; obtinetur

Pulvis Cubebarum cum Alcoholis 0,830 maceratur; liquidum alcoholicum destillatur, et residuum evaporatum

prius Aqua dein Alcohole fervido extrahitur; se cedit refri-
geratione resina mollior, qua separata liquidum spontaneae
committitur evaporationi, quo facto Cubebinum separatur.

Char. Est coloris flavo virescentis, saporis acris Aqua
non, Aethere, Alcohole, Oleo amygdalarum, Acido Ace-
tico solvitur. Est principium in Cubebis efficax, desunt ta-
men sufficientia experimenta therapeutica usum illius illus-
trantia, nam sub nomine Cubebinae passim Extr. oleoso-re-
sinosum exhibetur cuius 6—10 gr. ordinantur.

Daturinum.

Syn. Daturium, Daturina, Stramoniinum. **Maszlak-**
dék. Daturin, Stramoniin.

Anno 1818 per Brandes detectum, recentissime per
Geiger et Hesse purum paratum; sequenti ratione obtinetur:

Semina Daturae Stramonii extrahantur Spir. Vini recti-
ficatissimo in prelo Realiano; tinctura cum 20ma seminum
adhibitorum parte Calcis exstinctae tractetur, dein Spir. Vit-
trioli per vices addatur donec acidum praevaleat, filtretur
nunc 2/3 Spir. Vini abstrahantur, admisceatur residuo ter-
tia Seminum adhibitorum pars Aquae, destilletur porro par-
va Spir. Vini pars, evaporeturque postremo residuum in
patina lata et aperta lenissimo calore, donec duodecima
pars seminum adhibitorum remanserit; refrigerato liquori
caute et saepius agitando addatur solutio Kali carbonici con-
centrata, donec turbari incipiat (caveatur ne liquor alcaline
reagat) filtretur post aliquot horas, et liquori denuo addatur
solutio concentrata Kali carbonici, quamdiu praeципitatum
cadere cessen. Praeципitatum obtentum, iterata pressione ab
oleo pingui liberandum, in Spir. Vini absoluto solvendum,
Spiritus e solutione filtrata abstrahendus. Daturinum sic ob-

tentum tractatione cum Alcohole et Carbone animali depurandum, evaporandum et crystallisandum.

Char. Prismata exhibet acicularia, alba, sericea, inodora, sapore primum amaro dein acri instructa, in Aquae frig. 280, ferv. 72 partibus solvitur, facilius solvitur Alcohole et Aethere cum Acidis sales crystallisabiles, Aqua alcoholeque solubiles format.

Virtus medica, narcotica et facile lethalis ei inest, oculo minima dosi adplicitum dilatationem pupillae perfectam diuque durantem producit. Laudatur in neuralgiis, imprimis cephalaea rheumatica, prosopalgia, hydrophobia, tetano.

Dosis a gr. $\frac{1}{12}$ — $\frac{1}{8}$ partem pro nycht. Forma tinct. aut pill.

D e l p h i n i u m.

Syn. Delphininum, Delphinia, Delphium, Delphia. Sarkvirágdék. Delphin, Ritterspornstoff.

Anno 1819 in Gallia a Lassaigne et Feneulle et in Germania eodem tempore per Brandes detectum. Henry et Couerbe aevo nostro id penitus investigarunt. Turnbull primus erat qui id in usum medicum traxit.

Obtinetur tractando Semina Staphidis agriae Spir. Vini rectificatissimo, donec exhausta sint, abstrahendo Spir. e solutione, et extractum residuum siecum iterate coquendo cum Spir. Vitrioli multa aqua diluto, quamdiu coloratur, praecipitando liquorem Spir. Salis Ammoniaci ebulliente; tractando solutionem Carbone animali depurato, filtrando et evaporando. Si purissimum desideratur, Delphininum ita obtentum denuo in Spir. Vitrioli aqua diluto solvendum, et solutioni filtratae guttatum admiscendum Acidum Nitri, quamdiu massa fusca, resinosa praecipitatur; vastum per 24

horas reponendum, liquor clarus decanthandus liquore Kali carbonici valde diluto, praecipitandus, praecipitatum aqua lavandum, in Alchohole solvendum, e solutione clara Spir. abstrahendus, materia residua subflavescens quasi resinosa, aqua fervida lavanda, denique Aethere Vitrioli tractanda, qui Delphininum purum solvet, quod ex solutione limpida evaporatione obtinetur.

Char. Sistit massam flavidam inodoram, sapore acri praeditam in Aqua fere non, in Alchohole et Aethere facile solubilem. Cum acidis sales non crystallisabiles aqua facillime solubiles aëreque deliquescentes format.

Virtus medica. Est remedium narcotico-acre experimentis toxicologicis per Orfilam institutis innotuit **6 gr.** jam canem enecare; produxitque vomitum, inflammationem, symptomataque narcoseos omnia. Interne adhibitum cum **Veratrina** multum convenit, externe tamen magis irritat quam illa. Laudatur in affectionibus linguae et nervi infraorbitalis, et iisdem ut **Veratrina** casibus. Magendie id in scabie inveterata mitioribus remediis renitente bono cum effectu exhibuit.

Dosis. Interne ab $\frac{1}{16}$ — $\frac{1}{8}$ usque dimidium granum bis ter per diem forma pulv. pill. aut solut. Externe gr. **10** — **40** forma solut. Alcoholicae aut ung. cum axungia porci.

Digitalinum.

Syn. Digitalium, Digitalina. Gyűszűvirágdék. Digitalin. Fingerhutbitter.

Anno 1824 per Le Royer detecta est substantia propria extractiformis in foliis Digitalis purpureae, quae 1833 per Lancelot exactius determinata, purumque inde alcaloideum paratum.

Obtinetur. Folia Digitalis purpureae recenter exsiccatae cum Aqua destillata coquendo ad perfectam extractionem, inspissando ad spissioris Extracti consistentiam, superafundendo Alcohol fervidum, ac cum eo calide digerendo, et post unam alteramve ebullitionem filtrando, refrigerando ubi secedit Digitalinum.

Char. Occurrit in crystallis minimis decoloribus, Aqua insolubilibus Alcohole tamen et Aethere solvendis, odoris nullius, saporis amaro-acris.

Virtute medica eadem gaudet ut Digitalis purpurea nimurum narcotico-acri speciatim nervos organorum circulationis feriente, et sic pulsum relate ad magnitudinem et frequentiam minuit. Laudatur in iis ut planta mater casibus praeprimis hydropibus et vitiis cordis a gr. $\frac{1}{12}$ adscendendo — gr. 1 pro nycht.

E m e t i n u m.

Syn. Emetium, Emetina Hántatódék. Brechstoff Per Pelletier ei Magendie 1817 inventa: duplex in usu medico est impura et pura.

Impurum paratur: Radix Ipecacuanhae digeritur repetitis vicibus, cum nova quantitate Alcoholis, donec hoc non amplius coloretur, tincturae omnes commixtae abstrahuntur ad consistentiam Extracti. Huic superfunditur Aether sulfuricus ut resina mollis solvi et auferri possit; residuum Aqua solvit, filtraturque, materia cerea in filtro remanet, liquidum filtratum in Extractum inspissatur.

Char. Refert massam rubro-bruneam inodoram saporis amari non tamen nauseosi, Aqua facile solubilem.

Purum obtinetur: Radix Ipecacuanhae pulverisata prius Aethere tractata, Alcohole 0,830 extrahitur, fluidum

filtratur, et Aqua octavam alcoholis partem aequante; miscetur; dein destillatur. Residuum destillationis filtratur, cum Magnesia pura superabundante coquitur, sedimentum Aqua edulcoratnr, siccatur, Alcohole extrahitur et ad siccum inspissatur.

Char. Pulverem sistitalbum, sapore amaro instratum Aqua frig. parum, plus calid. Alcohole omni proportione solubilem Aethere non solvit.

Est emeticum tutissimum, 2 gr. Emetini imp. in cane jam emesim provocant, quam insequitur somnus; majori dosi sub iisdem symptomatibus animal intra paucas horas enecatur. Magendie Emetinum imp. in omnibus iis morbis ubi Ipecacuanhae radix et qua emeticum aut alio scopo adhibetur commendat, praesertim vero laudat in affectionibus catarrhalibus chronicis. Ast virtus ejus cum ea Ipecacuanhae dosi refracta non est aquiparanda, nam destituitur et virtute antispasmodica et tonica. Qua emeticum ex imp. adhibentur gr. 1—3, ex puro $\frac{1}{8}$ — $\frac{1}{2}$ gr. part. forma solut. in Aqua vel Syrupo, trochiscorum, rarissime pulv.

G e n t i a n i u m.

Syn. Gentianum, Gentiania, Gentianeina. Tarnits-dék. Enzianstoff, Enzianbitter.

Per Henry et Caventou detectum per Magendie in usum medicum inductum; paratur:

Rad. Gentianae luteae Alcohole 0,830 extrahitur, liquidum ad Extracti consistentiam evaporatur, extractum hoc in Aqua solvit, filtratumque in Extracti spissi consistentiam evaporatur, ita paratum sistit Gentianinum impurum.

Char. Refert substantiam flavam, inodoram, saporis intense amari aromatici, Aethere et Alcohole facile, Aqua

parum solubilem. Ab Henry et Caventou pro acido, ab Richard pro alcali habetur.

Juxta experimenta a Magendie instituta ejusdem est virtutis ut Gentiana commendatque imprimis in affectionibus scrophulosis qua antiscrophulosum, nec non qua antipyreticum.

Dosis gr. 5—10 forma tinct. Syrupi, aut pill.

H y o s c i a m i n u m.

Syn. Hyosciarium, Hyosciamina. Beléndék. Hyosciamin. Substantia haec per Brandes detecta recentiori tempore per Geiger et Hesse penitus investigata.

Obtinetur: Semen Hyosciami contusum Alchohole 0,820, Acidi Sulfurici $\frac{1}{50}$ mixto, calide extrahitur; liquor filtratus, Hydrate Calcis supersaturatur, denuo filtratus, cum Acido Sulfurico ad praevalentiam usque miscetur, et ad remanentiam unius quarti destillatur. Residuum cum quarta seminis adhibiti parte miscetur, ad disparitionem Alcoholes evaporatur, cum Carbonate Kali saturatur, filtratur, cum majori quantitate Carbonatis Kali miscetur, Aethere extrahitur, et ad siccum sub antlia pneumatica evaporatur.

Char. Ocurrit forma crystallorum sericeo — nitentium acicularium, siccum odoris nullius humidum odorem inamoene narcoticum evolvit, saporis est pungentis acris; Aqua Alchohole et Aethere facile solvitur cum acidis in sales crystallisabiles unitur.

Virtus medica marcotica ei magno in gradu inest, minima dosi adhibitum jam pupillae dilatationem satis diu durantem producit; majori dosi gr 2 — 3 omnia narcoseos symptomata provocat. Hucusque pro dilatatione pupillae solum adhibitum hancque constantissimam, inter omnia alia

remedia producit. Adhibetur forma solut. cum acido gr 1.
pro drach.

I l i c i n u m.

Syn. *Ilicium*, *Ilicina*. *Ilicin*.

Per Lassaigne detectum a Dechamps purum paratum.

Paratur: Decoctum foliorum Ilicis aquifolii Aceto Lythargiri praecipitatur, filtratur, ab oxydo plumbi, Acido Hydrothionico liberatur, ac in balneo Mariae ad siccum evaporatur: residuum cum Aqua coquitur, Alchohole tractatur evaporatur et crystallisatur.

Char. Exhibit crystallos minimas brunco-flavas transparentes, saporis amari, in Aqua ferv. et Alchohole solubiles Aethere vero insolubiles, Acidis decomponuntur.

Virtus a Rousseau illi tribuitur febrifuga, quam et Bertini illi inesse ait. Plures tamen super eo observationes ab aliis institutae non exstant.

L u p u l i n u m.

Syn. *Lupulina* Komlódék. *Lupulin* Hopfenbitter, Ab Ives in New-Jork primo repertum, nec tamen purum sistit alcaloideum sed materiae resinosae unitum.

Paratur ex amentis Lupuli, bene siccatis extractione cum Alchole et inspissatione.

Char. Refert massam flavo — albam vel rubescientem saporis amari, ex aëre atmosphaerico aquam attrahentem Aqua et Alchole facile, Aethere difficiliter solvendam

Virtus illi ab Ives adscribitur stimulans, roborans, et narcotica, quae postrema ab Magendie negatur. Adhibetur qua stomachium, a Mile Tinct. Lupulinae quae anodynum commendatur.

Dosis gr. 6 — 10 form. pulv. pill. aut Tinct.

Mannitum.

Syn. Mannita Körösmézesdék. Mannazucker, Mannastoff.

A Proust detectum a Magendie in penum pharmacorum inductum; juxta Pharmacopocam gallicam paratur:

R p e. 100 partes Manna in lacrymis, 600 partes Alcoholis O, 850. Tractetur Manna cum Alcohole bulliente, filtretur, solutio refrigeratione crystallisetur, Alcohol decanthesetur et crystalli siccentur in aëre.

Char. Crystalli sunt parvae aciculares, albae, saporis dulcescentis Aquae frig. partibus 5, ferv. omni proportione, Alcohole absoluto frig. non solvuntur. Altiore temperatura decomponuntur ut saccharum.

Virtus secundum Magendie eadem purgans ut Manna illi competit, faciliusque cum nec odorem nec saporem ingratum habeat ab aegris summitur.

Dosis infantibus drach. 2 adultis uncia semis — 1.

Morphinum.

Syn. Morphium, Morphina, Morphia Morpheia, Mákonydék, Mohnstoff.

In statu impuro jam seculo 17o notum sub nomine Magisterii Opii, 1804 a Sertürner purum paratum; secundum Pharmacopocae Austriacae praescriptionem paratur:

Opii puri unciae 4, Alcoholis O, 910 um. 16 digerantur per octiduum et filtrantur cum expressione. Residuo adhuc adfundatur Alcoholis unc. 8, et digestione peracta filtratur. Liquoribus Aqua destillata dilutis et filtratis additur Ammoniae purae q. s. ad perfectam præcipitationem, et stent per aliquot dies, præcipitatum obtentum aqua frigida ablutum

et siccatum solvatur coquendo in Alchohole 0,750. A solutione filtrata abstrahatur Alcoholis dimidia pars, et residuum debita evaporatione et refrigeratione in crystallos redigatur.

Char. Occurrit in crystallis parvis decoloribus, saporis amari, Aqua frig. vix, ferv, 405 Alcoholis 20 partibus solvitur. Cum acidis junctum sales crystallisabiles et Aqua facile solubiles format.

In usu medico sunt **Morphium Aceticum**, **Muriaticum**, et **Sulfuricum** qui sales solutione **Morphii puri** in his Acidis dilutis evaporatione crystallisationeque obtinentur.

Virtus medica **Morphii** et salium suorum eadem, hitemen obsolubilitatem illi praferendi, habentque virtutem sedantem vitam sensiferam deprimentem. Ab Opio differunt; quod circulationem non accelerent, nullas congestiones, nullum orgasmum producant, in organa digestionis exerunt effectum deteriorem quam Opium, cum longiori usu sensum ardoris in pharynge, dolores in superiori parte abdominis, vomitum, alvi constipationem cum inseguente diarhoea provocent. Praeterea quam maxime effectu suo in organa uropoetica distinguitur, cum in viris praeprimis secretionem urinae imminuant. Praeter haec et symptomata narcoseos producunt oriunturque post illius usum cephalea, pupilla dilatata, somnolentia ect., his accedunt ut aliqui observatores docent sensus pruritus in cute et diaphoresis aucta.

Morbi in quibus adhibentur sunt ii fere in quibus Opium praescribitur, uti: neuralgiae in quibus endermatice optimo cum effectu adhibiti fuere; spasmis ut tussi convulsiva ect; delirio tremente, diabete, rheumatismo chronico, phtys (qua palliativum optimum) morbis oculorum uti neurosibus uti doloribus, spasmis Ophtalmiis chornicis rheumaticis. Tandem laudatur et qua antidotum in intoxicatione Strychnino facta.

Dosis. Interne a gr. $\frac{1}{8}$ — $\frac{1}{4}$ caut adscendendo ad

$\frac{1}{2}$ — 1 gr. bis ter de die, forma pil. pulv. sol. mixt. Externe endermatice gr 1 — 3; porro quoque forma ung. linim.

Phlorrhizinum.

Syn. Phloiorrhinum. Phlorridzinum Phlorrizin.

A Konnink et Stass 1825 detectum; paratur:

Recens Cortex Rad. arboris Pyri, mali, infunditur Alcohole deluto sustentaturque calor 40—48° R. per 6 horas. Infusio haec saepius reiteratur novo Alcohole. Omnes sic obtentae tincturae miscentur et Alcohol maxima parte abstrahitur; post refrigerationem obtinetur Phlorrhizinum crystallisatum, quod tamen adhuc impurum solutione in Aqua destillata cum Carbone animali tractatione depuratur.

Char. Crystalli sunt aciculares, quasi sericei, saporis initio dulcescentis, dein amari adstringentis, Aqua frig. parum ferv. omni proportione, Alcohol quoque facile solvuntur.

Ab inventore cum multis qualitatibus cum Salicina conveniat adhibebatur in febribus intermittentibus virtutemque ejus cum ea Chinini Sulfurici aequiparandam asserit. Ast observationes aliorum imprimis a Leonhard institutae huic sententiae adversantur, cum is remedium hoc solum in febribus mitioribus efficax reperierit. Adhibetur praeterea ut roborans egregium in dyspepsia.

Dosis qua antipyreticum 12 — 15 gr. una vel tribus horis ante paroxysmum qua roborans 1 — 2 gr. omni bihorio forma pulv.

Piperinum.

Syn. Piperina. Piperium, Borsadék. Pfefferstoff.

Anno 1819 ab Örstedt detectum, paratur:

Piper nigrum cum Alcohole 0,830 extrahitur, destillatur, et residuum ad Extracti consistentiam evaporatum cum solutione Kali puri miscetur, et Aqua edulcuratur. Residuum solvitur Alcohole, et spontaneae relinquitur crystallisationi.

Char. Refert crystallos rhomboidales, albas, pellucidas, friabiles, inodoras, saporis ejusdem ut piper sed debilioris Aqua difficulter, facile vero Alcohole, Aethere, et Oleis aethereis solvitur, solutionesque ejus nec acide nec alkaline reagunt.

Virtus medica illi tribuitur antipyretica, in eoque piperis virtus omnis residet. Merereturque hac ex causa in febribus intermittentibus mitioribus in usum vocari. Praeter haec quoque qua antiblennorrhœicum laudatur.

Adhibetur a gr. 6 — scrup. 1 tempore apyrexiae, in blennorrhœis gr. 2 — 4 pro nyit. forma pulv. aut pill.

S a l i c i n u m.

Syn. Salicina, Salicinium. Füzfadék. Weidenstoff, Weidenbitter, Salicin.

Per Leroux Pharmacopœum 1829 purum paratum, a Girardin in usum medicum tractum: paratur:

Si Decoctum Corticis Salicis Hydrate Calcis misceatur, filtretur, ad Syrupi consistentiam evaporetur et cum Alcoholis 0,830 sufficiente quantitate misceatur, liquidum alcoholicum denuo filtratum, praebet evaporatione Salicinum iterata solutione, Carbone animali et crystallisatione depurandum.

Char. Pura in crystallis prismaticis parum nitentibus, inodoris sapore amaricante instructis occurrit; nec acide, nec alkaline reagit, acido Sulfurico tractatum colorem pulchre

rubrum acquirit qua qualitate praecipue a Chinino distinguatur.

Virtus medica eadem ei est ut Cortici Salicis cum hicce efficaciam suam ab alcaloideo hocce habeat; virtus illius febrifuga recentissime quam maxime laudatur, sed observationes in clinico nostro institutae docent, hanc solum in mitioribus febribus sanandis exerere. Praeterea et bono effectu adhibitum fuisse dicitur in diarrhoeis, dyssenteriis, diarrhoeis colliquativis, debilitate organorum digestionis, febri mucosa, blennorrhoea organorum respirationis, fluore albo, et unus casus a Van Dem Busch adnotatus est ubi illud in tussis convulsivae stadio tertio intra paucos dies sationem perfectam induxit.

Dosis qua febrifugum gr. 4—8 pro dosi omni biorio tempore apyrexiae, in aliis morbis adductis ab 1—3 gr. quater quinquies per diem forma pulv. pill. mixt. troch.

Santoninum.

Syn. Santonina, Santonium. **Geliszta - magdék.**

Wurmsamenstoff.

Anno 1830 per Pharmacopoeum Düsseldorfiensem Kahler detectum, paratur:

Seminis Cinae partes **4** et Calcis purae pars **1 1/2** digeruntur ter cum Alcoholis **0,930** partibus **60**; liquida alcoholica filtrata ad remanentiam partium **12** destillantur, residuum filtratum calidum adhuc, cum Acido Acetico supersaturatur, et Santoninum in crystallis secedens lotione cum Alcohole, subsequa solutione, Carbone animali et crystallisatione depuratur.

Char. Refert prismata hexagona, decolora, odoris saporisque expertia, solutio tamen alcoholica saporis est in-

tense amari, aëre non mutatur, luci expositum tamen flavescit solvitur in Aquae frig. 4000 bull. 250 partibus, Alcoholis 43 praeterea et Aethere, Oleis aethereis, et pinguis, solutiones in pigmenta vegetabilium non reagunt.

Virtus medica, juxta experimenta a Mayer Tübingae instituta, illi convenit anthelmintica, nec tamen irritando agere fertur hinc magnam p̄ae Seminibus Cinae praeferentiam haberet, mereturque saepius, cum et praeter haec nec sapore nec odore offendat minorique dosi agat in praxi infantum adhiberi.

Dosis a gr. 4—6 form. pulv.

S a l s e p a r i n u m.

Syn. Salseparina. Parjglina. Smilacina. Szártsagyökérdék. Salseparin :

A Palotta anno 1824 e Rad. Sarsaparillae purum elicitum.

Paratur: Rad. Sarsaparillae Alchohole 0,830 extra hendo; liquidum alcoholicum destillando, et residuum Carbone animali depurando et crystallisando.

Char. Crystalli sunt parvae, aciculares, albae, saporis acerbi parum adstringentis, inodores, Alchohole perfecte solubiles.

Virtus medica ejus est stimulans praecipue in membranas fibroso-serosas; et vasa lymphatica directa resorptionem et secretionem potenter impellens, hinc qua antidyscrasicum in iis ut Sarsaparilla casibus adhiberi meretur.

Dosis a gr. 3—10 pro nycht. form. pulv. pill.

S t r y c h n i u m.

Syn. Strychnium, Strychnina, Strychnia. Ebvész. Magdék. Krähenaugenstoff, Krähenaugenbitter.

Anno 1818 per Pelleter et Caventou detectum paratur.

Nuces vomicae pulveratae Alcohole 0,910 extrahuntur; liquida alcoholica destillantur, residuum Acetate Plumbi praecipitatur, et liquidum a praecipitato filtratum, cum sexagesima parte ponderis nucum adhibitorum, Magnesiae per 48 horas maceratur. — Praecipitatum hoc aqua ablutum et siccatum, Alcohole 0,835 extrahitur, solutioque distillatione concentratur. Secedit Strychninum et in liquido remanenti restat Brucinum. Utraeque bases hae, solutione in Acido Hydrochlorico diluto, crystallisatione, decompositio- ne cum Magnesia pura, extractione cum Alcohole et evaporatione depurantur.

Char. Crystallos refert prismaticas, quadrilateras, splendidas, albas, odoris nullius, saporis amarissimi. In Alcohole facile, Aqua difficulter frig. 7000, bull. 2500 partibus Aethere plane non solubiles Acidis copulatum sales crystallisabiles Aqua Alcoholeque facile solubiles efficit; ex quibus Strychninum Aceticum, Hydrojodicum, Jodium, Muriaticum, Nitricum frequentissime Sulfuricum adhibitae fuere.

Strychnini virtus est principaliter in medullam spinalem nervosque motorios hinc originem ducentes directa, tetricis symptomatibus, ac receptivitate in omnis generis stimulus adacta semet prodens: Systhema cerebrale sensitivum parum ab eo afficitur, quod praecipue sensuum integrata, effectum suum jam in nervis motoriis exerendo probatur. Pertinet inter dirissima, effectum suum citissime diffundentia venena. Indicatur ab virtutem functionem nervorum motoriorum potentissime excitantem; in paralysibus univer-

salibus, et topicis praeprimis extremitatum; in paralysi vesicae urinariae linguae in amaurosi; in neuralgiis uti hemi-crana, doloribns syphiliticis osteoscopis.

Dosis $\frac{1}{32}$ — $\frac{1}{16}$ partem unius gr. adscendendo ad $\frac{1}{4}$ — $\frac{1}{2}$ imo integrum granum: form. pulv. pill.

Endermatica fit quoque applicatio Strychnini, in casibus supramemoratis: Imprimis in amaurosi, in quo ca-su ad tempora epidermide orba ung. $\frac{1}{2}$ gr. Strychnini te-nens applicatur, tamdiu donec scintillationes in oculo, vel leviores succussions electricae prorumpant. Antidotum ejus **Morphium** est.

V e r a t r i n u m.

Syn. Veratria, Veratrina, Veratrium. **Zászpadék.** Veratin, Niesswurzstoff.

Anno 1818 a Meissner et eodem fere tempore a Ca-ventou et Pelletier detectum. Primi qui id usus medici fece-re sunt **Magendie** et **Bardsley**.

Paratur: Seminis Sabadillae 100 partes cum suffi-ciente quantitate Aquae, 20 partibus Acidi Sulfurici con-centrati mixtae, extrahuntur Liquidum filtratum Carbonate Kali saturatur, ad Extracti spissitudinem evaporatur, et re-siduum cum Alcoholis 0,850 quantitate sufficiente extra-hitur. Fluidum filtratum destillatur, residuum Acido Sulfurico diluto extrahitur, ex quo Veratrinum Carbonate Natri super-abundante praecipitatur, solutione et praecipitatione iterata depuranda.

Char. Occurrit forma pulveris albi, mollis, sericeo-nitentis odoris nullius, saporis acris urentis; Aqua non, Al-cohole, Aethere, et Oleis aethereis facile solubilis. Cum Acidis sales difficulter crystallisabiles, Aqua Alcooleque facile solubiles format.

Virtus Veratrini, organismi cuicunque parti adpliciti est potenter stimulans, ita ut jam $\frac{1}{2}$ —1 gr. ventriculo ingestum inflammationem, et omnia toxicationis acrum symptomata provocet; externe forma ung. aut endermatice applicatum topicam initio irritationem, suppurationem largam, serius vero abit in effectum universalem, sensum formicationis, ealoris, punctionis producens. Agit imprimis in sys tema nervorum, medullae spinalis, item nervos vitae plasticae quorum morbosum a norma deflexum alterando in normalem transmutat; urinae secretionem potenter adauget. Indicatur itaque; in neuralgiis ut sunt: prosopalgia, lumbago, ischias nervosa, coxalgia rheumatismo et arthritide; in neurosibus a turbata functione systematis gangliosi ortum ducentibus, ut sunt hypochondria, hysteria immateriales; in hydropis speciebus.

Dosis interne rarissime $\frac{1}{32}$ — $\frac{1}{16}$ partem unius gr. forma pulv. pill. et sol. Externe consilio optimo form. ung. gr. 5—10 cum unc. 1 axungiae ut magnitudine pisi bis, ter in vicinia partis affectae inungatur. Endermatice $\frac{1}{2}$ —1 gr. applicatur.

...dilecta est quae omnia in aliis. sed etiam in aliis
venerabatur ergo 1 - 7 ut in aliis qualiter. namque illa
- universitas singulariter singulariter. non obtemperat aliis
- aliis. sed etiam singulariter. non aliis singulariter. non
- aliis. sed etiam singulariter. non aliis singulariter. non
- aliis. sed etiam singulariter. non aliis singulariter. non
- aliis. sed etiam singulariter. non aliis singulariter. non
- aliis.

T h e s e s .

- 1. Plurima medicamenta e regno vegetabili desamta agunt
alcaloideis ac acidis in iis contentis. Ideo**
 - 2. Haec illis merito substitui deberent.**
 - 3. Abortus procuratus a primo conceptionis momento homi-
cidium.**
 - 4. Structura bulbi oculi est inter caetera organa tenerima.**
 - 5. Libri populares medici plus noxae quam utilitatis adfer-
runt.**
 - 6. Lac nutricis, lacti materno perfecte substitui nequit.**
 - 7. In Partu ancipiti valet: Parce matri, proli ni parcere
dossis.**
 - 8. Febris est conamen naturae morbum avertendi.**
 - 9. Non aetas, sed judicium facit medicum.**
-